

Quando autem loquitur in casu hæresis non superioritatem attribuit respectu papæ, sed solum præcipit evitari, separari, et non communicare hæretico, quæ omnia superioritatem non indicant, et sine illa salvari possunt; ergo potestas Ecclesiæ non est superior respectu potestatis papæ etiam in casu hæresis. Et hoc etiam convincunt jura, quæ dicunt primam sedem a nemine judicari, quod etiam in casu infidelitatis procedit, nam patres congregati in casu Marcellini papæ dixerunt: Tu teipsum judica.

XXIV. Tertium dictum sequitur ex præcedentibus. Nam Ecclesia potest declarare crimen pontificis, et ipsum ut evitandum proponere fidelibus secundum jus divinum, quo hæreticus evitandus est. Pontifex autem evitandus ex vi talis dispositionis necessario redditur impotens, ut sit caput Ecclesiæ, quia est membrum evitandum ab illa, et consequenter non potest in illam influere; ergo ex vi talis potestatis Ecclesia dissolvit conjunctionem pontificatus cum ista persona ministerialiter et dispositive. Patet consequentia, quia agens quod potest inducere dispositionem in subjecto, cui necessario annexa est separatio formæ et cum qua forma stare non potest in subjecto, potest supra dissolutionem formæ, et mediate tangit ipsam formam, ut separandam a subjecto, non ut in se destruendam, sicut patet in agente corrumpente hominem, nec enim formam destruit, sed dissolutionem formæ inducit, ponendo dispositionem in materia, cum qua forma non potest stare. Sic ergo cum Ecclesia potest ut evitandum pontificem declarare, potest inducere dispositionem in illa persona, cum qua pontificatus stare non potest, et sic dissolvitur ministerialiter, et dispositive ab Ecclesia, auctoritative autem a Christo, sicut

designando ipsum per electionem disponit ipsum ultimate, ut recipiat collationem potestatis a Christo Domino: et sic ministerialiter creat papam. Et si quando dicit Cajetanus Ecclesiam posse auctoritative in conjunctionem, vel separationem pontificatus a persona, ministerialiter vero in ipsum pontificatum intelligendus est hoc modo, quod Ecclesia habet auctoritatem declarandi crimen papæ, sicut et designandi ipsum in papam, et quod auctoritativum est respectu declarationis est dispositivum, et ministeriale respectu formæ, ut conjungendæ vel separandæ, nam in ipsam formam absolute, et in se nihil potest Ecclesia, cum non sit ei subordinata potestas. Et ex his concordantur jura, quæ aliquando dicunt pontificis depositionem pertinere ad solum Deum, aliquando in causa hæresis posse judicari ab inferioribus, utrumque enim verum est, et quod ejectio, seu depositio pontificis soli Deo reservatur auctoritative, et principaliter ut dicitur expresse in capite Ejectionem, septuagesima nona; distinctione, et in aliis multis juribus supra citatis, quæ dicunt judicium sedis apostolicæ sibi Deum reservasse: ministerialiter autem, et dispositive declarando crimen, et proponendo papam, ut evitandum Ecclesia judicat de pontifice, ut dicitur in capite Si papa, XL distinctione, et capite Oves II, quæst. VII.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXV. Argumenta Bellarmini, et Suarez contra prædictam sententiam facilis solutionis sunt. Objicit enim Bellarminus, quod Apostolus dicit hæreticum hominem post duas correptiones esse evitandum, id est, postquam manifeste apparet pertinax ante omnem excommuni-

cationem, et judicis sententiam, ut ibi scribit Hieronymus, quia hæretici per se discedunt a corpore Christi. Et ratio est, quia non Christianus non potest esse papa, nec enim est caput, qui non est membrum; hæreticus autem Christianus non est, ut docent communiter patres; ergo manifestus hæreticus papa esse non potest. Nec obstat, quod in ipso adhuc manet character, nam si ratione characteris maneret papa, cum hic sit indebilis nunquam deponi poterit. Unde patres communiter docent hæreticum ratione hæresis, et independenter ab excommunicatione carere omni jurisdictione, et potestate ut Cyprianus, Hieronymus et Ambrosius.

XXVI. Respondetur hæreticum esse evitandum propter duas correptiones juridice scilicet factas, et ab Ecclesiæ auctoritate, et non secundum privatum judicium; sequeretur enim magna confusio in Ecclesia si sufficeret hanc correptionem esse factam ab homine privato, et quod facta manifestatione hæresis non tamen declarata ab Ecclesia, et proposita omnibus ut evitent pontificem teneri omnes illum evitare, nec enim omnibus fidelibus potest esse publica hæresis papæ, nisi ex relatione aliorum: relatio autem ista cum non sit juridica non obligat, ut ei omnes credant et illum evitent: requiritur ergo quod sicut Ecclesia designando ipsum omnibus juridice ipsum ut electum proponit, sic declarando et proponendo eum ut hæreticum evitandum eum deponat. Unde sic videmus practicum in Ecclesia, quod in casu depositionis papæ causa ipsa in generali Concilio prius tractata est quam pro non papa habitus, sicut supra retulimus. Non ergo papa ipso facto quo hæreticus est, etiam publice desinit esse papa ante omnem Ecclesiæ sententiam,

et antequam ipsum, ut evitandum fidelibus proponat. Nec Hieronymus quando dicit hæreticum per se discedere a corpore Christi, excludit ipsum Ecclesiæ judicium præsertim in re tam gravi, qualis est depositio papæ, sed criminis judicat qualitatem, quod per se sine alia censura superaddita excludit ab Ecclesia, dummodo tamen per Ecclesiam declaretur; licet enim ex se separet ab Ecclesia, tamen quoad nos non intelligitur facta separatio sine ista declaratione. Et similiter ad rationem respondetur, quod non Christianus, qui quoad se, et quoad nos Christianus non est, non potest esse papa, si tamen quoad se Christianus non sit, quia fidem amisit; quoad nos autem adhuc non fit juridice declaratus, ut infidelis, vel hæreticus, quantumcumque manifestus sit secundum privatum judicium, adhuc quoad nos est membrum Ecclesiæ, et consequenter caput. Requiritur ergo judicium Ecclesiæ, quo proponatur, ut non Christianus, et evitandus, et tunc desinit quoad nos esse papa, et consequenter antea non desierat etiam in se, quia omnia quæ faciebat erant valida in se.

XXVII. Secundo objicitur: Quia non potest Ecclesia habere potestatem in conjunctionem pontificatus cum persona, nisi in ipsum pontificatum habeat potestatem, nec enim amplius facit papa cum deponit episcopum, quam destruere conjunctionem ejus cum episcopatu, nam episcopatum ipsum non destruit, ergo si potest Ecclesia in conjunctionem pontificatus cum persona, consequenter potest, seu potestatem habet supra pontificatum et personam papæ. Et confirmatur, quia papa deponitur invitus; ergo punitur in tali depositione, punire autem est superioris et judicis; ergo Ecclesia deponens, seu depositionis pœna puniens, supra personam

papæ superioritatem habet. Denique, qui potest in partes simul, seu in conjunctionem earum potest simpliciter in totum: sicut generans hominem, simpliciter potest in ipsum totum hominem; ergo si Ecclesia potest in conjunctionem pontificatus cum persona, simpliciter potest in papam, quod negat Cajetanus.

XXVIII. Respondetur, quod aliter potest pontifex in episcopum quando ipsum deponit, aliter Ecclesia in pontificem: nam pontifex privat ipsum tamquam sibi subjectum, et habentem potestatem sibi subordinatam et dependentem, quam limitare, et coartare potest, unde licet tollat episcopatum a persona, et non destruat episcopatum, tamen hoc tollit ex superioritate quam habet ad personam, etiam ex parte potestatis sibi subordinatæ, ratione cujus illam amovet a persona, et non solum personam ab ipsa. Ecclesia vero tollit pontificatum ex superioritate ad potestatem ipsam, sed ex ministeriali, et dispositiva potestate qua potest inducere dispositionem impossibilem cum pontificatu, ut dictum est.

XXIX. Ad confirmationem respondetur, papam disponi invitum ministerialiter, et dispositive ab Ecclesia, auctoritative a Christo Domino, unde ab ipso, non ab Ecclesia punitur proprie loquendo. Ad ultimum dicitur, quod qui potest in conjunctionem partium, potest in totum simpliciter, non tamen si ministerialiter solum, et dispositive possit in talem conjunctionem, nisi in naturalibus, in quibus physice dispositiones habent naturalem connexionem cum ipso esse totius, quod cum communicetur ab agente producente dispositiones conjunctivas partium, simpliciter producit ipsum totum: in moralibus autem dispositio, quæ fit ab aliquo, cum solum

habeat moralem conjunctionem cum forma, et quasi ex institutione voluntaria, qui disponit non censetur facere ipsum totum simpliciter, et auctoritative, sed quasi ministerialiter: sicut si pontifex alicui concedat, ut loca quæ designaverit habeant privilegia lucrandi indulgentias, et quæ declaraverit non habere, non habeant, designatio, vel declaratio ista non habet tollere, aut concedere indulgentias auctoritative et principaliter, sed ministerialiter solum.

DISPUTATIO III.

DE POTESTATE PAPÆ IN ECCLESIA QUANTUM AD EA IN QUIBUS ERRARE NON POTEST.

Quinque sunt in quibus pontifex non potest errare. Primo, approbatione, et emendatione librorum canonicorum Scripturæ, et traditionum apostolicarum: secundo, in confirmatione Conciliorum, et definitione rerum fidei: tertio, in canonizatione sanctorum: quarto, in legibus regulativis morum: quinto, in confirmandis religionibus; et de his omnibus per ordinem tractandum est in præsentis disputatione.

ARTICULUS I.

Utrum in approbatione, et emendatione Scripturæ canonice papa errare possit?

I. Supponimus duo principia, de quibus aliquid breviter egimus disputatione prima, articulo secundo. Primum est, dari veram et infalli-

bilem Scripturam, quæ sit divinitus inspirata, de qua Apostolus II ad Timotheum III: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, et ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, etc.* et II Petri I: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes tamquam lucernæ lucenti in caliginoso loco: item: Hoc primum intelligentes quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non sit, non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines: et capite tertio; Memores, inquit, sitis eorum quæ prædixi verborum a sanctis prophetis, et Apostolorum vestrorum.* Et infra mentionem facit epistolarum Pauli tamquam de Scriptura canonica. Et ipse Dominus post resurrectionem suam omnem complectens veteris testamenti Scripturam, quam Ecclesiæ suæ relinquebat Lucæ vigesimo secundo: *Necesse est, inquit, impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et psalmis de me: tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas, etc.* Quare dandam esse aliquam Scripturam sacram divinitus inspiratam tamquam primum principium supponendum est inter eos qui fideles sunt, et in Christum credunt, hoc enim insinuant illa verba Petri: *Hoc primum intelligentes quod omnis prophetia, etc.* Est ergo hoc primum quod tenemur intelligere, et tamquam principium supponere: apud eos vero qui Scripturæ non credunt aliis argumentis procedendum est, quæ breviter insinuavimus loco superius adducto, articulo secundo, in initio.

II. Secundum principium est, quod etiam de fide est Scripturam sacram non solum in sensuum varietate, et interpretationibus diversis posse difficultates pati, sed etiam

depravari in se juxta quod dicitur II Petri III de epistolis Pauli: *In quibus sunt quædam difficulta intellectu, quæ indocti, et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem: quod et satis manifestat multitudo illa librorum apocryphorum, qui pro Scripturis revelatis palliabantur, et damnati sunt a Gelasio pontifice in capite Sancta Romana, distinctione decima quinta, ubi plura numerantur evangelia apocrypha, ut, evangelium Thaddæi, Barnabæ, Bartholomæi, Andreæ, etc.* Plura etiam ex sanctis Scripturis sunt quæ penitus interierunt; multi enim libri citantur in veteri testamento, qui modo non sunt, ut est liber justorum, Josue decimo. Et I Paralipom. XXIX, citatur liber Nathan prophetæ, et volumen Gad videntis: et III Regum IV Salomonem dicitur scripsisse tria millia parabolarum, et quinque millia carminum, et quod disputavit de lignis, et reptilibus, et jumentis, etc. Paulus ad Colossenses IV, in fine mentionem facit epistolæ ad Laodicenses, et jubet ut in Ecclesia legatur, quæ tamen hodie non extat. Itaque Scripturæ et depravationi, et perditioni sunt obnoxie, et aliorum apocryphorum admixtioni, nisi ab aliqua infallibili auctoritate discernatur quinam sint legitimi libri et qui non, qui depravati et qui sinceri, alias enim tota fides fluctuaret, si libri illi in quibus continentur ea quæ revelata sunt a Deo diversis depravationibus, et corruptionibus patere possent, nec de hoc posset aliquis judicare, et discernere.

III. Ex his duobus principiis deducitur per consequentiam, ad duo capita reduci ea quæ Ecclesia vel pontifex circa Scripturam canonicam potest, scilicet quantum ad ipsos libros in se, et quantum ad sensum, et intelligentiam eorum,